

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput V.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

nam te nunquam offendissem, ~~atque~~ gratiam tuam
~~in meo impedivissem~~. Utinam tibi semper placuissem,
 et tuis inspirationibus, tuęque voluntati in omnibus
 obedivissem. Propono per gratiam tuam deinceps
 vitare, quidquid tibi displicet: paratus potius
 mori, quam velle te offendere. Eia pie Jesu, pro-
 pitius mihi esto per merita sanctissima humani-
 tatis tue. Ablue me precioso sanguine tuo, et
 plene emunda, ac sanctifica.

Caput V.

Psalmi poenitentiales pro venia
 peccatorum obtinenda.

Antiph. Ne reminiscaris

Psalmus 6.

Oratio est peccatoris severitatem ultionis
 divinam metuentis.

Domine, ne in furore tuo arguas me: neque in
 ira tua corripas me.

Miserere mei Domine, quoniam mente in-
 firmus sum: sana me Domine, quoniam contur-
bata sunt ossa mea.

Et anima mea † turbata est valde: sed tu Do-
 mine usquequo non misereris?

Convertere Domine ad me, et eripe animam
 meam ab interitu: saluum me fac propter mi-
 sericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit
 tui fructuosus: in inferno autem quis confite-
 ritur tibi?

† Conturbata, id est debilitata sunt vires mentis mea
 pro multitudine ac pondere peccatorum. Beda hic
 † Turbata est, nimirum ex peccati displicentia, quilibet
 enim de peccatis necessario turbatur et dolet. Arguar h.
 † In morte, i. e. post mortem. Nemo est, ait Beda hic, qui dum in
 hoc saeculo de peccatis non compungitur, postquam mortuus est uti-
 liter compungatur; quia hic tantum est locus misericordiae, post
 hoc saeculum vero tantum locus est iustitiae.

+ Laboravi in gemitu meo: insuper lavabo
per singulas noctes lectum meum: nempe
lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est enim à furore tuo oculus
meus interior; quia inveteravi inter omnes
inimicos meos.

Discedite à me omnes, qui operamini iniqui-
tatem malum suadendo: quoniam exaudivit
Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam cul-
pam remittendo: Dominus orationem meam sus-
cepit, gratiam dando.

Erubescant ergo, et conturbentur vehemen-
ter omnes inimici mei: convertantur retro
et erubescant valde velociter. spe sua frustrati.

Psalms 31.

David peccata sua deflens praeclat beatos esse quibus remissa
sunt peccata: hortatur ad hanc beatitudinem
per poenitentiam consequendam.

Beati, quorum remissa sunt iniquitates:
et quorum secta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus pec-
catum ad reatum: nec est in Spiritu ejus dolus.

Quoniam mea faci delicta, inveterave-
runt ossa mea: dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me
manus tua: sed conversus sum ad te in arumna

+ laboravi, i.e. defessus sum. Huius autem vericuli hyperbo-
lica expressiones diuturnitatem, ac abundantiam lacrymarum,
proindeque magnum de peccatis danotant dolorem.
+ Inimicos. Inimici nostri sunt mundus, diabolus, concupiscentia
carnis, ait Dionys. Carth. h. inter qua dum conserosimus, peccatorum cu-
multa augemus, et sic magis Deum ad iram provocamus.
+ Clamare. Affert ratione, cur exaruerint ossa seu consumpta
sint vires ejus, nempe ob planctum continuu ex plagis ortum et
arumnis, quibus afficiebatur, eo quod reticeret peccata sua,
adulteris, scilicet, et homicidiis, unde sequitur: quonia die ac nocte
gravata est super me manus tua. E.

mea; dum cor configitur spina remorsus.

Delictum meum cognitum tibi feci; et in-
iustitiam meam non abscondi.

Dixi contritus, confitebor adversum me in-
iustitiam meam Domino: et tu noct remisisti
impietatem peccati mei.

† Pro hac re orabit ad te omnis sanctus, pro
in tempore opportuno.

calamitatū Verumtamen in diluvio aquarum multarum,
multi ad eum non approximabunt.

Tu verò es refugium meum à tribulatione,
qua circumdedit me: Tu es caultatio mea,
erue me à circumdantibus me malis.

Deus

Intellectum tibi dabo, et instruam te in
via hac poenitentia, qua gradieris: firma-
bo super te oculos meos.

Nolite posthac fieri sicut equus et mulus,
quibus non est intellectus.

Propheta.

† In camo et frano plagarum maxillas eorum
constringe, qui non approximant ad te, Nam
Multa erunt flagella peccatoris impoeni-
dentis: Sperantem autem in Dño misericor-
dia circumdabit.

Letamini in Dño et exultate. justi et
gloriamini in eo omnes recti corde.

† Pro hac, idest, propter hoc, quod Deus tam facilis
sit ad remittenda peccata omnis sanctus, hoc est om-
nis fidelis cultor pro venia opportunè orabit.

† In camo. Prædicat mala, que eos sequuntur, qui e-
quos et mulos imitari voluerint. cogentur enim duris pla-
gis vel ad Deum converti, vel certe impediuntur, ne noceant
aliis, quantum vellent. Sed more prophetico hanc prædic-
tionem exprimit David per modum imprecationis. Bellam

Psalms 37

Oratio poenitentis afflictiones suas quas causa peccatorum sustinet plangentis.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me.

Quoniam sagittae tuae infixae sunt mihi, et confirmasti super me manum tuam. * aggravasti

Non est sanitas in carne mea à facie ira tua: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meae supergressae sunt caput meum: et sicut onus grave gravatae sunt super me.

Putruerunt, et corrupta sunt cicatrices anima mea, à facie insipientiae meae.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusio- * motibus pravis nibus, et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei

Dne ante te est omne desiderium meum, et gemitus meus à te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me

+ à facie peccatorum; nempe aspectus deformitatis et multitudinis peccatorum meorum me conturbat, ut nulla sit requies, et ipsa ossa etiam contrahant, sicut et ira tua, quae mihi semper ob oculos mentis versatur, carnem meam tabescere facit. Bellar. h.

+ Insipientia mea. Per novem menses distulit et neglexit David curare vulnera adulterii sui per poenitentiam, quae negligentia, ac impenitentia maxima fuit insipientia; nam inde factum est, ut anima ipsius vulnera quasi putrescerent, ac foetorem scandalii longius latiusque diffunderent. Bellar.

+ Curvatus. i. e. depressus supra modum: tota die tristis incedebat.

* etiam virtus mea: et lumen oculorum meorum, et ipsum non est mecum.

Amici mei, et proximi mei adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

* notimej Et qui iuxta me erant, de longe steterunt: et vim faciebant mihi, qui querebant animam meam.

* mendacia * vanitates: et dolos tota die meditabantur contra me.

Ego autem tanquam surdus non audiebam, et fui sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens, et non habens in ore suo redargutiones.

Quoniam in te Dñe speravi; tu exaudies me Domine Deus meus.

Quia dixi rogans, ne quando supergaudeant mihi inimici mei: etenim dum à recto commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt mala.

Quoniam ego in flagella paratus sum ob delicta mea: et dolor meus exiit in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et cogitabo pro peccato meo expiando.

* invalescunt Inimici autem mei vivunt cum exultatione, et confirmati sunt super me: et multiplicati sunt, qui oderunt me, inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me Dñe Deus meus: ne discesseris à me.

Intende in adiutorium meum. Domine Deus
salutis meae auctor.

Psalmus 50

David poenitens adulterium et homicidium sibi remitti obsecrat.
Est itaque psalmus iste oratio peccatoris, vere poenitentis.

Miserere mei Deus, secundum magnam
misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum
tuarum, dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea: et
a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco,
et peccatum meum contra me est semper.

Sibi soli peccavi, et malum coram te feci;
sed parce, ut justificeris in sermonibus tuis,
et vincas, cum iudicaris injustitia.

Eccc enim in iniquitatibus conceptus sum,
et in peccatis concepit me mater mea.

Quia enim veritatem confessionis meae dilexisti;
ideo *incerta, et occulta sapientiae *arcana
tua manifestasti mihi.

Asperges me thysopo, et mundabor: lava-
bis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo interiori dabis gaudium et
letitiam, ex exultabunt ossa humiliata.

+ Iniquitatibus. S. Patres hic intelligunt peccatum originale
quod cum sit fons ceterorum, Deo ponitur numerus pluralis pro
singulari, quem tamen exhibent Hebraei, nemo in peccato.

+ Thysopo. Intellige hic sanguinem Christi; asperzione enim hys-
sopi sanguine sancti purgabatur ex legis praecepto leprosi, et
qui mortuum contigerant. Levit. 14. Sed David nec fuit leprosus
nec mortui contactu pollutus, necesse proinde est ut hoc as-
pergio spiritualiter nemo de sanguine. Ibi intelligi debet.

Averte faciem tuam à peccatis meis: et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me Deus: et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne proicias me à facie tua: et spiritum sanctum tuum ne auferas à me.

Fedde mihi latitiam salutis tui, et spiritus tuo principali confirma me in gratia.

Docebo tunc iniquos vias tuas rectas: et sic impij ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis mea auctor: et tunc exultabit lingua mea iustitiam tuam.

* aperi Domine labia mea aperiens: et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium dedissem utiq; hircorum: sed holocaustis amplius non delectaberis.

* contritus Sacrificium Deo gratum spiritus* contributus: cor enim contritum, et humiliatum Deus non despicias.

* Ecclesie Penigne fac Domine in bona voluntate tua * Sion: ut ex ea edificentur muri* Jerusalem coelestis.

Tunc acceptabis sacrificium iustitiae, seu obla-

+ sanguinibus. Literaliter intellige occisionem viri et sociorum eius: spiritualiter tamen hic veniunt omnia peccata, quae de corruptione carnis et sanguinis pullulant juxta illud 1. cor. 15. quia caro et sanguis regnum Dei non possidebunt.

+ iustitiam, i.e. misericordiam, ea enim hic iustitia laudatur, qua homines ea injustis justos facit, qua sane magna est misericordia. vid. Genab.

+ Jerusalem. Urbs Jerusalem beata construitur, ut canit Ecclesia, vivis ex lapidibus, qui sunt sancti et electi Dei, quos Ecclesia veluti ex simo suo transmittit in caelum; et sic ex ea edificentur muri coelestis Jerusalem.

fiones et holocausta: tunc imponent super al-
tare tuum vitulos labiorum

Psalmus 101.

Oratio afflicti et poenitentis divinam implorantis
opem et veniam.

Domine exaudi orationem meam: et
clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: in qua-
cunq; die tribulor inclina ad me aurem tua.

In quacunq; die invocavero te, velociter
exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei: et
ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut foenum a sole, et aruit cor
meum; quia oblitus sum comedere panem meum
pro dolore.

A voce gemitus mei, adhesit os meum car-
ni mea.

+ Similis factus sum pellicano solitudinis:
factus sum sicut nycticorax in domicilio ruinoso.

Vigilavi; moerens tota nocte; et factus sum
sicut passer solitarius in tecto sedens * Solus

Tota die exprobrabant inimici mei:
et qui olim laudabant me, nunc adversum
me * jurabant * conjurarunt

+ Vitulos. Osee 14. reddemus, inquit, vitulos labiorum
nostrorum; id est, laudes et gratiarum actiones. Genes.

+ Cremium, i. e. aridum lignum. Significatur autem pro dolore
animi corpus ipsum macie & confectum esse, unde et mox
subditur: Adhesit os meum carni mea, i. e. adhaeserunt
ossa mea pelli mea. Sans. Muis.

+ Similis G. His similitudinibus innuit pro dolore
et anxietate aegre se fere. Lucem ac congressum alio-
rum.

* cum pane † Quia cinerem* tanquam panem manducebam:
et potum meum cum fletu miscebam;

† A facie ira et indignationis tuae; quia
olim elevans me, nunc tallifisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt:
et ego sicut foenum arui.

* memoria † Tu autem Domine in aeternum perma-
nes: et* memoriale tuum in generationem
et generationem durat.

Tu exurgens ad regnandum misereberis
Sion; quia venit tempus miserendi ejus, quia
venit tempus.

† Quoniam placuerunt servis tuis: apostoli;
lapides ejus vivi: et terra ejus miserebun-
tur predicando.

Et timebunt gentes nomen tuum Dne per
eos conversa: et omnes reges terra gloriam tuam
reverebuntur.

* Ecclesia † Quia edificavit Dominus* Sion: et in ea
videbitur in gloria sua.

Respexit illic in orationem humilium:
et non sprexit precem eorum.

† A facie, i. e. propter iram tuam. Pertinet autem hoc mem-
brum ad precedentem versum; ostenditur enim, iram dei
causam esse tot afflictionum. *Muis.*

† Allifisti, i. e. deicisti me. Hoc dicant ait hic S. Hieron.,
qui aliquando fuerunt sancti et ceciderunt.

† Tu autem E. Haec est altera pars Psalmi; in qua David
predicit renovationem Ecclesiae futuram per Christum, ad quem
verba diriguntur.

† Quonia placuerunt (i. e. quia Apostoli habuerunt bonam
voluntatem erga judaeos, quorum multos praedicatione sua
converterunt, et ita ex iis tanquam vivis lapidibus
aedificata est Ecclesia.

45

Scribantur haec* in generatione altera: et * pro
populus, qui creabitur laudabit Dñm

Quia prospexit de excelso sancto suo: Domi-
nus de coelo in terram† asperxit;

Vt audiret gemitus compeditorum, ut solve-
ret filios interemptorum,

Vt annuntiet in Sion nomen Dñi,† et
laudem ejus in Jerusalem

† In conveniendo populos in unum fidei: et
reges ut serviant Domino sto.

† Respondit autem ei in via virtutis suae:
paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum
sterilium: In generationem enim et generatio-
nem sunt anni tui.

Initio tu Dñe terram fundasti, et opera ma-
num tuarum sunt coeli.

Ipsi peribunt tu autem permanes: et om-
nes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut† opertorium mutabis eos, et muta- * vestis
buntur: tu autem idem ipse es, et anni tui
non deficient. Hinc

† creabitur i.e. renascetur verbo Dei, juxta illud Jac. 1. volun-
tarie. genuit verbo veritatis, ut simus initium aliquid creature eius.

† asperxit, non otioso intuitu, sed ut in terris videretur
et cum hominibus conversaretur. Psalm.

† Et laudē C. Eodem redit hoc membrum, nam tum
per Sion, tum per Jerusalem hic intelligitur Ecclesia.

† In conveniendo, i.e. cum convenient populi in unitate fidei.

† Respondit ei i.e. dixit Dño inops ille, et afflictus,
de quo in argumento psalmi, puta David, aut alius,
quispiam afflictus et poenitens.

† In generatione C per hoc innuitur, Deū facile pro-
gare posse spatium vite, cum duratio ejus sit aeterna. Lycan.

Filii servorum tuorum habitabunt secum
in coelis: et semen eorum ibi in saeculum
firmabitur *dirigetur*.

Psalmus 129

Demersus abysso malorum s. peccati, poena: s. aspi-
rat liberari Deo misereante.

De profundis clamavi ad te Domine:
Domine exaudi ~~me~~ vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes, in vocem de-
precationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: Do-
mine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est; et propter
†legem tuam s. misericordia: s. sustinui te Dne.

†Sustinuit anima mea, in verbo ejus: Spe-
ravit anima mea in Dno.

A custodia matutina: usque ad noctem
Speret Israel in Domino.

Quia apud Dnum misericordia: et copiosa
apud eum redemptio:

Et ipse redimet Israel, ex omnibus ini-
quitatibus ejus.

Psalmus 142

Oratio poenitentis, ut liberetur à persecutione omnium ini-
quorum, maxime autē invidiosorum.

Domine exaudi orationem meam: au-
cus percipe obsecrationem meam in veri-
tate tua: et exaudi me in tua justitia.

† legem: S. Augustinus hic ita ait: quia dignatus es
legem misericordia offerre, mihi dimittere omnia pecca-
ta, dare mihi de cetero monita ne te offendam... propter
hanc legem sustinui, id est, speravi in te, Domine.

† sustinuit: i.e. anima mea expectavit veniam confisa
in verbo promissionis ejus. (Thomas. h.)

Et non intres in iudicium rigorosum cum
seruo tuo; quia alioqui non justificabi-
tur in conspectu tuo omnis vivens. Exaudi

Quia persecutus est inimicus animam
meam: humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos
saeculi: et anxius est super me spiritus
meus: in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum: medi-
tatus sum in omnibus operibus tuis: et
in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te; anima
mea sicut terra sine aqua tibi sitit.

Velociter exaudi me Domine: defecit
enim spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: * et *alioqui
similis ero descenditibus in lacum inferni.

Auditam fac mihi mane misericordiam
tuam; quia in te speravi.

Notam fac mihi viam, in qua ambulem:
quia ad te levavi animam meam.

Cripe me de inimicis meis Dne; quia
ad te confugi: doce me facere volunta-
tem tuam; quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus deducet me in terram

* Humiliavit i.e. depressit ad terrenam vitam, i.e.
animum meum.

* In obscuris. Postquam demon animam humiliavit ad
terram, i.e. terrenis cupiditatibus implicavit, in obscuris ea collo-
cat, in tenebris videlicet spiritualibus, exocans oculos in-
teriores, ut falsa bona amplectatur pro veris. Beatorum h.
* mortuos saeculi. Aliud sunt mortui saeculo, aliud mortui sa-
culi, illi sunt qui abrenuntiantes mundo vivunt Deo. hi vero
qui servientes mundo mortui sunt Deo, seu ait Lu. 16. 13. huius
quos amor saeculi seperat ab amore Dei.